



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

Herlet, Johann Georg

Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.

§. 12. De Fine Statûs Religiosi in genere, sivè de Perfectione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37853

generaliter loquendo nihil est aliud, quàm purior
 & perfectior Dei famulatus, atq; cum Deo con-
 junctio; uti colligitur ex S. Dionysio Areopa-
 gitâ *Ecclesiast. Hierarch. c. 6.* Propter hanc enim
 causam primi Religiosi tempore nascentis Ec-
 clesie Possessiones suas abdicârunt, nuptias
 fugerunt, à turbâ declinârunt & solitudinem
 elegerunt, ut purius ac perfectius Deo famulari
 & ipsi se unire atq; adhærere sine impedimento
 aliquo possent; sicut insinuat Eusebius *lib. 1.
 demonstrat c. 8.* Quia ex verbis Christi *Matth.
 13. & 19.* item ex *epist. S. Pauli 1. Corinth.
 & 1. Timoth. 6.* collegerunt, quod homo cur-
 talibus impedimentis distrahentibus, cujusmodi
 sunt possessio Bonorum temporalium, status
 conjugalis, tractatio sæcularium negotiorum
 &c. non possit Deo purum & perfectum Famu-
 latum præstare, & toto illi corde adhærere. Si-
 militer quia multi homines sæculares prudentes
 & à Deo illuminati agnoverunt, Deum esse di-
 infinitam suam Bonitatem & Perfectionem dig-
 nissimum, qui à nobis diu noctuq; laudetur &
 colatur in terris, sicut à Beatissimis Spiritibus
 laudatur & colitur in cœlis; simul tamen etiam
 ex alterâ parte viderunt & experienciâ didice-
 runt, se ob plurimas distractiones & obstacula
 quæ in vita sæculari quotidie occurrunt, tan-
 tum perfectum & frequentem cultum ac famulatum
 Deo impendere non posse, nec amplius sibi li-
 citum & integrum esse à sæculari vitâ recede-
 re; hinc magnam Bonorum suorum tempora-
 lium partem impenderunt cœnobiis seu domi-

bus
 ædifi-
 larib;
 strac
 fam
 func
 præse
 in ch
 & pl
 citia
 latus
 eoru
 tueru
 que
 3
 debe
 ordi
 pera
 nem
 hibe
 hom
 phor
 2. di
 quan
 solun
 nem
 ta al
 cessi
 lime
 bere
 me n
 pete
 bus

bus Religiosorum Hominum & Ecclesiis eorum
ædificandis ac dotandis; ut hi ab omnibus sæcu-
laribus curis, negotiis, gravaminibus & di-
stractionibus liberi, Deo purum & perfectum
famulatum die ac nocte exhiberent per opera &
functiones in Ordine Religioso consuetas &
præscriptas, cujusmodi sunt Laus Dei vocalis
in choro, oblatio Sacrosancti Missæ Sacrificii,
& plurium aliarum virtutum Actus sive exer-
citia. Fuit ergo *purior & perfectior Dei famu-
latus atq; cum Deo Conjunctio* Finis Generalis
eorum, qui Statum Religiosum primitus insti-
tuerunt, & eorum, qui cœnobia fundarunt at-
que dotarunt.

33. Atque hinc conari quilibet Religiosus
debet, ut opera & functiones suæ vocationis
ordinarias ac quotidianas ritè & perfectè semper
peragat, atque per exactam talium executio-
nem Deo purum & perfectum Famulatum ex-
hibeat. In his enim consistit perfectio cujusvis
hominis Religiosi; sicut pulchrè declarat Al-
phonfus Rodericus *part. 1. de perfect. tract. 2. c.*
2. dicens: *Consideremus ergo & notemus,*
quàm tenui dispendio perfecti esse valeamus; cum
solum quotidianis operibus, nulla alia extra ordi-
nem addendo, perfecti esse possimus. Si exquisi-
ta aliqua & extraordinaria opera, si mentis ex-
cessus, si raptus & contemplationes admodum sub-
limes, ut perfectus dicaris, à te exigeremus, ha-
beres quo te excusares, ac diceres, ad tam subli-
me negotium te evolare nec posse nec audere: aus se
peteremus, ut quotidie ad sanguinem usq; te ca-
deres

caderes, ut quotidie in pane & aqua jejunares, ut
 nudipes incederes, perpetuo cilicium gestares;
 jure obtenderes, pares tibi corporis vires non
 suppetere. At nihil horum à te exigimus; nec
 in hoc tua perfectio posita est; sed tantum, ut quod
 agis, bene perfecteque agas. Per eadem ergo, qua
 agis, modo velis, perfectus esse potes: aliud ut
 praeter à adjungas, non est necesse. Quis igitur
 ad perfectionem animum non applicet, viso, eam
 ita facilem & obviam & velut in manibus esse?
 Item c. 1. n. 2. Certum & indubitatum est, omni
 nostrum & bonum & malum in eo esse, quod opera
 nostra vel bona sint, vel mala qualia enim illa fu-
 tura sunt, tales erimus & nos. Ad particularia
 verò iam descendamus, videamusque, quanam
 illa sint opera, in quibus omne nostrum bonum,
 profectus & perfectio consistit; non alia certe,
 quam ordinaria, & ea, qua quotidie obimus, ut
 videlicet orationem illam, quam quotidie peragi-
 mus, bene peragamus &c. In his, inquam,
 profectus & perfectio omnis nostra sita est; adeo
 ut, si haec bene perfecteque pertractemus, perfe-
 cti; si male & imperfecte, imperfecti fu-
 turi simus. Haec itaque differentia est inter Bo-
 num perfectumque Religiosum, & alium imperfe-
 ctum; non quod ille plura vel alia agat, quam
 hic; sed quod functiones suas obeat cum per-
 fectione. Subdit verò c. 2. P. Hieronymum Na-
 talem Societatis Jesu in visitatione provincia-
 rum Hispanicarum identidem inculcasse, ac om-
 nibus ibidem Sociis inculcari praecipisse hanc
 doctrinam, scilicet, omnem in spiritu profectus
 & perfectionis cardinem in eo potissimum verti-
 ni

ut Particularia, ordinaria, & quotidie à nobis fieri solita opera bene riteq; peragantur. Eadem est Doctrina Cardinalis Joannis Bonæ, viri in Asceti illuminatissimi, qui in *manuduct. ad cælum c. 19.* ait, profectum & perfectionem nostram non consistere in multis; sed in his, quæ quotidie fiunt, perfecte obeundis.

34. Est autem notandum, quod duplicia sint opera in Statu Religioso per Regulam & Constitutiones præscripta; Nam quædam habent se ut Finis principaliter intentus à Fundatore seu Institutore illius Statûs, & intendendus omnibus illius Professis. Qualia opera sunt Laus Dei in choro, cultus Latrepticus per Missæ Sacrificium Deo exhibendus, unio cum Deo per Actûs Intellectûs & Voluntatis, Procuratio Salutis Animarum per Catechesin, prædicationem, correctionem, Sacramentorû administrationem. Alia verò opera & Exercitia habent se purè ut media vel necessaria, vel utilia ad functiones & opera principaliora, ut hæc purius, expeditius liberiùs, & perfectiùs fieri possint: cujusmodi media sunt Examen Conscientiæ quotidianum generale, frequens Confessio Sacramentalis, meditatio, & particulare, Stationes, jejunia, voluntaria paupertas, Obedientia, Castitas &c. Qui igitur hæc ultima Exercitia & opera quotidie rite peragit juxta modum & normam in Regulâ ac Cõstitutionibus præscriptam, is quidem propterea nondum est perfectus in suo Statu; sed tamen ad perfectionem tendit. Qui verò per ea media jam eo usque ascendit, ut etiam principa-

D 3. liora

lora opera ritè peragat juxta modum in Regulâ & Statutis præscriptum, talis jam perfectus in suâ vocatione existit, eâ scilicet perfectione, quæ à Professis illius Status exigitur.

35. Porrò ex his manifestè liquet, quàm longè absint à perfectione, qui Exercitia, Functiones & opera suæ vocationis in Regulâ vel Constitutionibus præscripta quidem peragunt, sed defectuosè, obiter, luridè, perfunctoriè & oscitanter. Graviùs errant, qui eadem ordinaria opera prorsùs intermittunt sine necessitate verâ & coram Deo excusabili; aut qui suis Superioribus tam diu sunt importuni & molesti, donec à talibus operibus, v. g. frequentatione Chori, ministerio Fratrum, labore manuali &c. planè eximantur & liberi declarentur. Quomodò enim tales *purum & perfectum famulatum* præstarent, qui opera illa, ad quæ Deus eos vocavit, & per quæ vult ab eis coli, præstare aut nolunt aut non nisi coactè, invito & tædiolo animo luridè & obiter præstant? An non meritò dicitur eis Apocalypticum illud c. 2. *Habet adversum te quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq;, unde excideris, & prima opera fac. Sin autem; venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo. Et c. 3. Non invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergò habe, qualiter acceperis, & audieris, & serva?* Cùm enim adhuc essent in Novitiatu & Tyrocinio Status Religiosi; ferventes & exacti erant in operibus ordinariis suæ vocationis præstandis, & inchoato solùm, necdum verò ab
soluto

soluto pulsu, prompti ad ea accurrebant: Facti autem professi & sacerdotes, cum deberent jam propinquiores esse perfectioni, & magis ad eam passibus contendere, remissi fiunt & tepidi in iis operibus, in quorum accuratâ tractatione & exactâ adimplentione omnis illorum perfectio consistit. Errant præterea, qui opera & functiones propriæ vocationis parvi pendentes aliena quædam & extraordinaria opera assumunt, atque ordinariis suis præscriptis Exercitiis ea anteponunt, imò totam suam perfectionem & culmen Sanctitatis in iis ponunt. Errant, inquam, tales graviter à viâ perfectionis: Nam providentissimus Deus, cujus semper perfecta sunt opera, quotiescunq̃ue virum aliquem sanctum in suâ Ecclesiâ excitat ad Religiosum Ordinem instituendum, simul eidem etiam inspirat, quibus specialiter operibus seu functionibus & exercitiis Novus talis Ordo vacare debeat. Undè qui postea Deo vocante & dirigente ad hujusmodi statum seu Ordinem veniunt, hi unicè conari & contendere eò debent, ut opera & functiones illius Ordinis proprias ac ordinarias ritè peragant eò, quod ad hæc & non ad alia sint à Deo vocati, & ad eorum debitam executionem acceperint, atque quotidie adhuc accipiant speciales gratias sive auxilia vocationis, sintque in morte suâ de his, & non de aliis operibus judicandi. Alioquin dicetur illis in iudicio, si neglectis propriæ vocationis operibus veniant cum alienis & extraneis sive extraordinariis operibus spontè ac propriâ voluntate factis: *Quis*

D 4 *que*

Heu

Parson



quasiuit hac de manibus vestris? *Isaie 1.* Et *Ferem. 6.* ut quid mihi thus de Saba affertis, & *Calamum de terrâ longinquâ*? offert enim Deo quasi de terrâ longinquâ, qui posthabitis operibus in suâ Religione præscriptis vult Deo placere per functiones & opera alterius Religionis, sive per exercitia pietatis aliundè assumpta.

36. Debent verò etiam Novitii in hoc incumbere, ut remotè saltem tendant ad perfectionem, & opera Vocationis suæ ordinaria paulatim ritè ac juxta Regulas & constitutiones Ordinis peragere addiscant. Quia etiam de Novitiis sive Tyronibus intelligitur illud *Joann. 15.* *Ego elegeri vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Item illud *2. Petri 1.* *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quamvis enim Novitii necdum sint Religiosi Ordinis membra, & ideo nec votis nec præceptis obligentur specialibus illius Status, quem probant: Nihilominus debent se ejus disciplinæ Regulis & constitutionibus ita accommodare ac conformare, *ut in vacuum gratiam vocationis receperint 2. Corinth. 6.* & nè à professione tanquam inutiles rejiciantur à Deo & hominibus. Solet enim Deus tepidis & negligentibus Novitiis subtrahere denuò gratiam Vocationis, quam ex merâ suâ Misericordiâ illis fuit largitus. Hac autem subtractâ generatur in illis quoddam fastidium & tædium, ita ut opera cæteroquin levia & minimè onerosa, videantur illis difficillima, & non amplius portabilia; ex quâ difficultate postea sequitur animi

animi dejectio, desperatio, Religiosi propositi
 abjectio, desiderium revertendi ad sæculum.
 Unde *Apoc. 3.* dicit Christus cuidam: *Quia te-
 pidus es, incipiã te evomere ex ore meo.* Et *Matth.*
25. dicitur de servo pigro: *Tollite ab eo talen-
 tum: inutilem servum ejicite.* Item *Matth. 7.*
*omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, ex-
 cidetur.* Denique *Luc. 13.* *succide illam* (arbo-
 rem infructuosam) *ut quid etiam terram occu-
 pat?*

§. 13.

*Causa Idealis sive Exemplaris Per-
 fectionis.*

37. **C**REaverat Deus in principio *hominem ve-
 ritatem.* *Eccles. 7.* sive formaverat & creave-
 rat illum *ad Imaginem & similitudinem suam.*
Genes. 1. Sed quoniam instabilis homo primæ-
 vana Dei imaginem in se fœdaverat per pecca-
 tum, & à suâ rectitudine ita defecerat, ut bru-
 torum ac bestiarum potius quam Dei similitudi-
 nem circumferret, juxta illud *Psal. 48.* *Homo,
 cum in honore esset, non intellexit; comparatus
 est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*
 Hinc Deus Optimus Maximus volens ex infini-
 tâ suâ Bonitate & Misericordiâ restaurare in no-
 bis Imaginem suam, misit in hunc mundum no-
 bis Filium suum unigenitum, qui est *Imago Dei.*
2. Corinth. 4. & *Collof. 1.* ut ad illum respicien-
 tes, imaginem Animæ nostræ reformaremus ad
 Similitudinem illius. Sicut testatur St. Basilius
 in *Constitut. Monast. c. 2.* dicens: *Omnis Actio,*

D 5

omnis

Hel

Pergam